



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Tertiam Partem Summæ Theologiæ. Cum Commentariis
Reuerendiss. D. Thomæ de Vio Caietani Cardinalis S. Sixti, Et Opvscvlis
Eivsdem In tres Tomos distinctis

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

8. De Vinculo Obedientiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72797](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72797)

& de alijs partibus mundi, sed esse duos Soles, implicat contradictionē, ergo sermo est de impossibili absolute. Manifestatur autem implicatio contradictionis, quia positus duobus Solibus, si materia vnus appeteret formā alterius, neuter haberet suā materiā, quia Sol cōstat ex materia satieta sua forma: si aut materia vnus nō appeteret formā alterius, sic different non solū specie, sed genere. Tertiū, quia secundū istā glossam, quū dicitur, Non est possibile esse aliam terram, sensus esset, Non est potentia actiua in rebus creatis, q̄ possit producere aliā terram, hic autem sensus longe est à proposito, & quis vnquam de hoc debitaui?

Ad primum dubium respondemus, quod ly naturaliter non secundū eandem significationem in vtroque loco sumitur. Nam in quōne duodecima naturale attenditur penes naturam tanquam principium, ita quod naturalis appetitus appellatur, q̄ prouenit à principio indito secundū supradictū diuinā gratiā ordinem. Vt enim, locutio naturalis est homini à principijs naturalibus, ita appetere celestis patriā felicitatem, naturale est homini ex principijs gratiā, quia ex illis natum est prouenire. In quaestione autem 82. naturale attenditur penes modum, vt distinguitur contra liberā, ideoque ibi dicitur: q̄ naturaliter id est non libere vel Deum in particulari, &c. solis Beatis conuenit, vnde nulla relinquatur inter dicta dissonantia.

Ad secundam autem dubitationem respondetur, clare constare ex textu, quod possibile sumitur secundum potentiam in rebus existentē, dum probatur in textu, ex naturali motu terræ ad centrum hoc, hæc enim probatio manifestat, de Physica potentia sermonem esse. Nam certum est, apud Theologos omnes, posse à Deo creari etiam terram extra istum mundum, & conseruari ibi in æternum.

Ad primam igitur obiectionem dicitur, propositionem illam, Mundus constat ex tota sua materia, intelligi de omni totalitate materiæ, possibile tamen potentia Physica, quoniam hoc sufficit ad probandum in philosophia naturali, quod constat ex tota sua materia simpliciter, hoc est sine additione aliqua. Et sic stant ista duo simul, quod mundus constat ex tota sua materia, & quod Deus potest per omnipotentiam suam similem materiam extra mundum creare, quoniam primum intelligitur de tota sua materia possibili Physicæ. Nec implicat contradictionem habere totam possibilem Physicē, & non habere aliquam partem, quæ per omnipotentiam diuinam fieret extra.

Ad secundam autem dicitur, quod nulla apparet cōtradictio, ponēdo plures Soles eiusdē speciei specialissimæ ex diuina omnipotentia, & quod existentibus pluribus Solibus, neutrius materia appeteret alterius formam, quia vtriusque materia contenta esset sua forma, sicut modo materia existens in vna parte celestis corporis homogenei non appetit esse in alia parte, & similiter in motibus pars spheræ igneæ contigua occidentali parti orbis Lunæ non appetit esse in Orientali parte eiusdē orbis. Et omnium vna communis est ratio, quod in his, quæ sunt eiusdē rationis, vna est etiam ratio appetitiuæ quietis, ac per hoc quodlibet contentum est illa portione, quam habet, & merito, quū priuatio, q̄ machinatur ad malū, nō est in certa materia, propter formam eiusdē speciei. Numquā enim Socrates corrumpetur, si materia eius non appete-

ret, nisi formam humanam, quoniam illam iam habet & sic de alijs.

Ad tertiam dicitur, quod aliud est aliqua esse idem, aliud est aliqua consequenter se habere. Vnde licet ad sensum expositum consequatur illa alia propositio, Nulla est potentia actiua in reb. creatis, quæ possit facere aliam terram, non tamen est idem quod sensus expositus, quoniam iuxta sensum expositum sermo est de potentia naturali, non descendendo ad actiuam, aut passiuam, & secundum huiusmodi potentiam affertur ratio de motu naturali, & non de potentia, vel impotentia generatiua terræ.

Hæc sunt, quæ velut à somno scientiarum speculatiuarum excitato occurrerunt respondenda. Reliquū est, vt attendas tibi & lectioni, & oris pro me, & bene vale. Romæ 23. Nouemb. 15 22.

T R A C T A T V S O C T A V V S

De vinculo obedientie cuius est vnica quæstio.

Q V A E S T I O I .

Num homo teneatur superiori obedire in his, in quibus parendo oportet periculo mortis se exponere.

M

trum homo homini superiori teneatur obedire in his, in quibus oportet se exponere periculo mortis. Et videtur, quod non.

Primo ratione, quia homo homini nō est subditus, quo ad naturam, ac per hoc non tenetur vitam perdere ad mandatum alterius. Et confirmatur autoritate, quia S. Tho. in Secunda Secundæ, quæst. 105. articulo 5. in corpore dicit, Tenetur homo homini obedire in his, quæ exterius per corpus sunt agenda, in quibus tamen secundum ea, quæ ad naturam corporis pertinent, homo homini obedire non tenetur, sed solum Deo, quia omnes homines natura sunt pares, puta in his, quæ pertinent ad corporis sustentationem, & prois generationem. Hæc ille.

Secundo, quia non tenetur homo sibi charitatis ordinem ponere vitam corporalem pro quocūque exteriori bono, aut pro vita corporali alterius, quum plus teneatur diligere corporalem viā suā, quam proximi, & contra aut supra charitatis ordinem non tenetur homo homini obedire.

Tertio, quia humana iura de actionibus humanis intelliguntur salua consistentia, imo in columitate subiecti, vt patet de precepto ieiuniorum, de diuinis officiis persoluendis, de obseruatione festorum, non enim tenetur homo ad diuinum officiū, aut ad obseruationem festorum, si non potest hæc sine non solum vita, sed sanitatis periculo seruare. Eximit ergo periculum vitæ ab obedientia humana.

Quarto, quia timor cadens in constantem virū, quales est timor mortis, excusat ab omni iuris ac iudicii humani executione, ergo idē quod prius.

Ad euidentiam huius quæstionis sciendum est, quod non distinguere inter per se, & per accidens occasio est minus bene sentiendi, contingit enim etiam sapientes, inquit Aristot. falli in iis, quæ sunt per accidens. Aliud est igitur subdij hominē homini in his, quæ sunt nature, per se loquendo, & aliud per accidens. Subiici naq; per se, est directe, & formaliter subdij, ita quod possint illa directe & formaliter

liter precipi. Subdi vero per accidens est per concomitantiam, aut sequelam ad illud, in quo per se subditur, subiici. Exemplum, Homo homini non subditur per se sicut in intentione motus animi, & ideo non potest superior precipere directe & formaliter interiores actus animi, soli enim Deo hoc est proprium. Subditur tamen per accidens, in quantum interiores animi motus sunt exteriorum actionum rationes, sic enim concomitantur exterioribus actionibus, in quibus homini homo per se subditur. Et ideo superiores aliter iudicant hominem ex malitia, aliter ex passione, aliter ex ignorantia operantem. In proposito autem verissimum est hominem non subdi homini in his, quae ad naturam spectant, sed hoc intelligitur per se, & formaliter, & ideo nullus potest alteri precipere ut se occidat, ut non comedat, ut non generet. Sed per accidens in his est homo homini subditus, pro quanto haec concomitantur se habent ad actiones in quantum homo homini per se subditus, ut patet in laicis subditis, qui tenentur mandante principe, praesertim, & exponere se mortis periculo, ut experientia testatur, quia potest princeps precipere, ut tueantur armis rempublicam, ut viciantur armis eandem, & huic annexum est periculum mortis: deo ex tali annexione subduntur est, quo ad vitam. Ratio autem humana debita obedientiae est, quia de humanorum actu subiectione iudicandum est sicut mea, quae in sunt per se, & non sicut ea, quae sunt per accidens: sicut vniuersaliter de exteris conditionibus, humanarum actionum consideratio, & iudicium si non fiat per se, non recte iudicantur nisi diuina, oportet ergo inspicere ad naturam operis humani, an sit per se de genere subditorum superior homini, an sit de genere exemptorum a subiectione humana, ut fecit D. Tho. in loco allegato duo operum genera per se eximens a subiectione humana opera. sicut interiora animi, & opera naturae sustentanda, & propaganda, Et aduerte quod non per se subiectae operationes alteri homini, possunt per accidens fieri subiectae alteri homini, ut declarauimus. Quum igitur constet, exteriores actus virtutum necessario ad esse bonum politicum, vel domesticum subiectos esse homini superiori, quoniam, & leges humanae huiusmodi actus principum, & superiores ad hos cogunt subditos, non sunt a suo subiectionis ordine eximendi, propter accidentia annexa, ut testantur praecipua de actibus fortitudinis exceptione admittunt: quum est fortitudinis actibus annexum vitae periculum, vanus est omnis principatus ad precipiendum, quae sunt fortis: vnde nil aliud est dicere, quod lex, aut princeps, aut superior non potest precipere actus, quibus annexum est vitae periculum, quam exterminare praecipua fortitudinis a potestate humana: quum fortitudo circa mortis pericula sit, quod absurdum, imo ridiculum est, sicut iudicium in his, quae sunt per se. Simile quoque facile apparet in actibus religionis: praecipit ecclesiastica ex Missam celebrare non nisi cum sacris vestibus cum altari, cum calice, si fiat exceptio de mortis periculo, sacerdos comminatus sibi morte celebrabit licite in diploide, habens tantummodo panem, & vinum, quis fatuus diceret haec: Similiter episcopus conferet ordines sacros in diploide sine vllis ceremoniis, sola forma substantiali seruata ob comminatum sibi mortem quod est sacrilegium. Ex quibus quilibet sapiens potest percipere, falsum esse fundamentum, quod humana lex & superior homo non potest precipere actus virtutum vsque ad mortis periculum inclusive, & quod

A subditi non teneantur obedire. Stetur ergo, ut dictum est, in his, quae sunt per se, censendo quod tam lex, quam superior homo potest precipere omnes exteriores virtutum actus necessarios ad esse bonum illud cuius curam habet, ad quod subditos habet, & subditi tenentur obedire, non obstanter quocumque vitae periculo annexo. Vnde quia praelatus potest precipere subditis religiosis ea, quae sunt ad mutua obsequia, inter quae non infimum tenet locum cura infirmorum: ideo tenetur subditus obedire ad seruandum agris etiam infectis epidemia morbo, quod hoc periculum vitae concomitanter se habet ad opus, quod per se precipitur scilicet seruitium infirmorum. Nec minus tenetur religiosus in his, & similibus obedire quam secularis, suo principi ad praesertim, ubi est maximum mortis periculum concomitans. Et quoniam hoc clarum est, non me extendo amplius, sed ex his constat satisfactum esse primae rationi in oppositum allatae, & auctoritati S. Tho. verificatur siquidem formaliter, & per se: secus autem est quum concomitanter concurrat id quod est natura, seu vitae ad illud, quod per se precipi potest.

B Ad secundam vero rationem de charitatis ordine, respondet quod charitatis ordo habet, ut pro actu virtutis cuiuslibet exponat vitam suam corporalem, & miles pro actu uirtutis. sicut defensionis, aut iustae uisionis, exponit uitam suam periculo, & seruans infectis pro actu uirtutis. sicut religiosi obsequii exponit se periculo mortis, & non pro nobis externis, aut corporali salute alterius. Constat autem hos & similes uirtutum actus debitos posse precipi, nec contra, nec supra charitatis ordinem, sed secundum charitatis ordinem quantum bonum animae praestat corporali uita.

C Ad tertia dicitur, quod actus uirtuosi praecipiti a iure positivo relati ad uitae periculum, non sunt uniformes. Quidam enim sunt quorum rectitudo destruitur ex uitae periculo annexo, ut sunt actus abstinentiae, qui si cum crimine vitae fiant, non sunt uirtuosi, quum recta abstinentiae ratio medium sic exigit, ut non subtrahatur necessarium ad uitam, & de his verificatur, quod leges humanae intelliguntur salua consistencia subiecti. Quidam uero sunt quorum rectitudo, constituitur ex periculo uitae, ut actus fortitudinis, qui si discrimen vitae effugeret, in uitium inciderent. Et simile est de reliquis actibus uirtutum necessariis ad commune bonum, ut sunt obsequia, officia, ministeria necessaria ad commune bonum, in quibus est nonnulla fortitudo in sustinendo pericula uitae superuenientia, sustineretur enim in tunc eorum rectitudo ex periculo uitae, ut si huiusmodi periculum effugerent in uitium inciderent timiditatis, & in huiusmodi non subintelligitur salua consistencia subiecti. Quidam uero sunt medii respicientes periculum uitae omnino accidentaliter ut sunt multi religionis actus, puta audire Missam, seruare festa, & huiusmodi. Et horum duplex est differentia. Nam quidam sunt, qui ex supradicto uitae periculo & licite omittuntur, & supererogatorie sunt ut sunt actus praedicandi & corrigendi, qui quandoque (puta non cogente diuini iuris necessitate) possunt propter uitae periculum omittenti licite, quae est licitum quandoque fugere, possunt & tunc nihilominus supererogare, nolenter predicare & reprehendere, & Ioan. Baptistam arguit Herodem, sciebat enim Herodes crimen suum, ita quod non necessitatis, sed supererogationis erat Ioann. reprehensio. Quaedam uero sunt, quae si fiant propter timorem

Opusc. Caict. X 4 mortis:

mortis: illicite omnino fiunt, vt celebrare Missam, absq; sacris vestib, calice, & altari, celebrare scien- ter coram excommunicatis nominatim, & reliqua similia, que si fiunt propter timorem mortis, sunt illicita, qui non excusantur a toto, sed a toto. Et ho- rum omnium vna cois est ratio, quia legis, & prin- cipis est precipere actus virtutum necessarios ad eoe bonum, vt autem, declaratum est, a virtute re- cederetur, si mortis periculū in peditis exciperet. Ad quartam dicitur, qd timor cadens in constā- tem vitium, excusatur iuxta predictā distinctionem, quandoque a toto, vt in his, in quibus omissio, vel commissio ob mortis periculum a rectitudine nō recedit. Et hoc gratia materię humanitatis pietate suffulcē, plerumque forte a Iuristis extenditur. Quę autem excusat se a tanto coram Deo, quamuis coram humano iudice excuset a toto, vt in pradi- ctis patet, & tunc moriendum est potius viro forti quam incurere obliquitatem etiā venialem. Ro- ma die 27. Decembris.

T R A C T A T V S D E C I M V I S

De Missa Sacrificio, & Ritu aduersus Luthe- ranos, ad Clementem septimum Pon- tificem Maximum, in sex capi- tula diuisus.

S V M M A R I V M

- 1. Quenam sit operis intentio.
- 2. Conuenientia, & differentia Lutheranorum cum catho- licis circa sacrificium.
- 3. Ex institutione Christi Eucharistiam immolari.
- 4. Ex institutione Christi immolari Eucharistiam in remis- sionem peccatorum.
- 5. Obiectiones ex Epistola ad Hebręos contra sacrificium Missę.
- 6. Responso ad obiectiones.

CLEMENTI VII. PONT. MAX. Thomas de Vio Caietanus, Cardinalis Sancti Xysti, sollicitatem.

Mandati olim P. Beatissime, vt tanquam in- structor nuntij scriberem respondendā obie- ctis in libello de Cena Domini, asserente cor- pus & sanguinem Christi in Eucharistia ef- se dumtaxat, sicut in signo; oblato autem ni- perrime mihi Libello Lutheranorum etiam de Cena Domini as- firmante in Eucharistia verum Christi corpus, & sangui- nem, sed negante sacrificium Missa. Contra vniuersas etiam schismaticorum Ecclesias, existimauimus non esse expectandum mandatum, sed officij mei partes exequi, manifestando ra- tiones errandi in hac noua heresi. Suscipiat itaque decer- nendam & Apostolatus tui censura lubricatū uinculam hanc, & salix vale.

C A P V T I

Que sit intentio.

Vnicus magister omnium Dñs Iesus Sad- duceus (qui ex sacris libris solos libros Moysi recipiebant) confutando ex libris Moysi, docuit nos, vt aduersus hereticos abstinemus a testimonijs, quę non recipiunt: sed sed illis vramus sacris testibus, quos non refutant. Quocirca aduersus hereticos, qui Lutherani vo- cantur, innitentes solis testimonijs sacrarum Scri- pturarum, scripturas de sacrificio Missa, ex solis fa-

cris Scripturis disputationem doctrinamque om- nem perficere intendo: tum ne gloriantur in soli- do fundamēto sacrarū Scripturarum fundamēto, ne gationem sacrificij Missa, tum ne minus docti pu- tent ex ecclesię institutione, non Scripturę autho- ritate, subleuē sacrificium Missa: tum vt habeant Lu- therani illi, qui ignorantur errant, vnde respiciant, vt autem clara fiat apud omnes veritas; primū in quo conueniant, & in quo differunt Lutherani a catholicis, deinde quid ex sacris Scripturis de sacrificio Missa habetur, & demū Lutheranę obie- ctiones discutiantur.

C A P V T II.

Conuenientia & differentia Lutheranorum cum catholicis circa sacrificium Missa. Lutheranorum sententia est, sacrificium Memorialē appellari; ea ratione, qua in memoriam sacrificij oblati in cruce verum corpus Christi; eam vero sanguinem Christi cōsecratur, vene- ratur, & sumitur, dicente Dño, Hoc facite in mei commemorationem. Negant autē duo. Alterū est, offerri corpus, vel sanguinem Christi Deo: quāuis enim affirmet in altari esse verum Christi corpus, negant tū illud verum Christi corpus offerri Deo. Alterum est, esse in altari hostiam; seu sacrificium pro expiatione peccatorum, siue pro viujs, siue pro defunctis. Et fundant vtrūque super doctrinā epi- stolę ad Hebręos vbi clare vnica oblatio corporis Christi in cruce se melius facta sufficiens manifestatur pro peccatis totius mundi. Et propterea inferunt, quod quāuis cultus corporis Christi in memo- riam passionis, & mortis Christi fuit institutus a Christo, oblatio tamen corporis Christi tanquam hostia pro peccato, est adiuentio humana cōtra- ria documentis sacra Scripturę.

C A P V T III.

Catholici autem agnoscimus in sacris literis scriptam esse institutionem immolationis eu- charistia: Euangelistę enim (specialiter Luc. ca. 22. specialiusque Paulus ad Corinth. 11.) tradunt post multas actiones Domini Iesu in cena, eum man- dasse, Hoc facite in mei commemorationem. Quę quia verba sunt Iesu Christi, libranda valde sunt sum pronomen, Hoc, tum verbum Facite, tum, In mei commemorationem.

Ad intelligendum itaque demonstratū per pro- nomen, Hoc, inspicienda sunt, quę præmittuntur. Præmittitur autē, quod Iesus accepit panem, gratias agit, fregit, dedit, dixit, Accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur, vel sicut Lucam, datur, Statimque subiunxit. Hoc facite in mei commemorationem, Pronomen itaque: Hoc quum non arctetur ad demonstrandum aliquod præmissorum, & ad aliquod præmissorum nō de- monstrandum, consequens est vt demonstret vni- uersitatem præmissorum.

Verbum, Facite, multa fert mysteria. Nam non dicit, hoc edicite, sed, hoc facite, vt significaretur, quod id, quod mandat, non cōsistit in dicere, sed in facere; quodque dicere hic interueniens, non propter dicere, sed propter facere est, vt intelligen- remus, quod verba consecrationis sunt verba effi- cientia illud, quod significant. Et adiungendo, In mei commemorationem, distinguit facere a com- memorare, vt significantius non dixerit, hoc com- memorate, sed hoc facite in commemorationem mei. Mandat itaq; Dominus Iesus hoc, i vniuersa præmissa, facere in memoriam sui, Actus ergo fa- ciendi